

Cuprum gaudet associari Mercurio , item cum sublimato Mercurio.

Cuprum præservat oleum salis marini.

Mercurius habet ad aurum Magnetismum , nam ab auro attrahitur.

Argentum , dissolutum in aqua Regia , adhæret æri.

Æs , in aqua regia dissolutum , adhæret ferro.

Mercurius etiam argentum amat.

Si multa metallæ simul cum auro injiciantur in vas Hydrargyro plenum , aurum fundum petit , cæteris supernatantibus.

Aurum coalescit cum argento , pulvere Boracis.

### *Antipathia Hominis cum partibus*

#### *Animalium.*

**L**epus marinus , vel assumpitus , vel tactus , vomitum Choleræ , & sanguinis sputum , difficultatem urinæ , & ulcus pulmonum , infert.

Cantharides non solùm assumptæ , sed & applicatæ in distantissimis corporis partibus , officiunt vesicæ , & eam exulcerant , & stranguriam inferunt , quarum etiam cinis post combustionem idem facit.

Cati cerebrum qui comedit , vertiginem incurret , & stolidus redditur , mores , gesticulationes , & vociferationes Cati præ se ferens.

Fel Leopardi efficit vomitum materiæ viridis , Aloes odorem habentis , & Ictericus redditur assumens , & frequenter syncopizans moritur.

Cervinæ caudæ extremitas , angustiam & dolorem stomachi , cum syncope inducit.

Fel canis marini infert symptomata fellis Leopardi.

Sanguis hominis irati & furiosi epotus , confundit sensus , & intellectum cum furore maximo , & inverecundiâ , & marasmo paulatim consumpti potantes moriuntur.

Sanguis Tauri , assumpitus vomitum sanguinis producit , præfocationem , spasmus , & mortem .

Spuma & sanguis Bufonis difficultatem anhelitus , intumentiam corporis , cordis syncopen , mortemque inducit.

Sanguis puerperalis assumpitus , lunaticum , leprosum , maleficum , & oblivious reddit , & si conceperit mulier fluentibus mensibus , iisdem , ut plurimum , tentatur infans.

Pisces cocti & rancidi faciunt ventris & stomachi inflammationem cum pectoris dolore , urinæ retentione , brevispirio , syncope , sudore frigido , & tandem mortem .

Scorpionis ictus vehementem infert dolorem & incendium , oculi torquentur , compus videtur quasi guttis quibusdam percuti , in oculis lachrymæ viscidæ , membra torquentur , horrores perpetui , & frigus etiam congelans , tumores sub axillis vel inguinibus , anus extra procedit , aliquando delirant , & loquela amittunt , ignorantes omnia .

Taran-